

Sacramentum A

Ab ipsa Dei sapientia homine assumpto a quo in libertatem vocati sumus, pauca sacramenta saluberrima constituta sunt, que societatem Christiani populi, hoc est sub uno Deo libere multitudinis continerent, sed quidam ipsam religionem nostram quaque manifestissimis et paucissimis celebrationum sacramentis Dei misericordia nolunt esse liberam, servilibus premunt oneribus.

Augustinus in libro de vera religione.

Sacramentum B

Scio quia lapis ex aqua fructum ferre non potest et per lapideos canales transit aqua ad areolos et in canali lapideo nil generatur sed ortus plurimum fructum affert, spiritualis vero virtus sacramenti ut lux pura ab illuminandis recipitur, sed per immundos transiens non coinquinatur.

Augustinus in libro contra donatistas.

Sacramentum C

Intra catholicam ecclesiam in ministerium corporis et sanguinis Domini nil a bono maius, nil a malo minus perficitur sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur creatoris et virtute Spiritus Sancti. Si enim in merito esset sacerdotis, nequaquam ad Christum pertineret, nunc autem sicut Christus ipse est qui baptizat, ita ipse est qui per Spiritum Sanctum efficit carnem et transfundit in sanguinem. Credendum enim est quod in verbis Christi sacramenta conficiantur, cuius prius creantur imperio eius utique verbo recreantur ad melius.

Augustinus in libro de corpore Christi.

Sacramentum D

Omnia sacramenta cum obsunt indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.

Augustinus contra epistolam Parmenon libro 2.